QVÆSTIO MEDICA

DISPVTATIONIBVS CARDINALITIIS EXCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXIX. APRILIS, IOANNE LE MOYNE MEDICO DOCTORE ET MODERATORE.

An Acutorum quàm Chronicorum morborum facilior ab initio πρόνοια?



IGNIS *ac Symptomatis quosuis præter naturam affectus perspicere, periti Artificis est: Est & prospicere eorum* φορὰς, καταστάσεις, μεταπτώσεις, ἀπαλλαγάς: *hæc vnicuique sua sunt, vt est ratio affectus & causarum,* ἰδιοσύγκρισις *ægri, ætas, à mediocritate recessus, mos, dignitas partis,* θεῖόν τε καὶ ἐπιδήμιον: *Eorumdem alia aliis implicantur & plerumq; pugnant: Secundum eadem terminantur morbi omnes: sed plurimi incessu lento motuq; ad* πέψιν *vel* λύσιν, *expectatione quidem tædiosas, at etiam non* φιλυποστροφώδεις: *alij pauciores, expeditius per* Κρίσιν *diebus 4. 7. 9. 11. 14. In quibus potissimè, certissimè, vitâ defunguntur ægri vel morbo: Imò primâ aliquando die, priusquam quæ conueniunt apposuisse queat Medicus, de quo opinio præiudicata non rarò profuit: tantum potest animus!*



N HIS, *continenter, vehementer, celeriter augescunt omnia: Labor ac vexatio primo statim die, aut 3. aut 5. in quibus elucent tùm* συνεδρεύοντα *(quæ tantum peculiares morborum differentiæ sunt) tum* Κρίσιμα *ad speciem diemq; Crisis, noctu quam interdiù perfectioris, Lunæ vigentis oppositionibus sæpius felicioris: alioqui supra 14. diem afflictio protenditur, non factura modum nisi 20. aut 35. aut 40. deinde tempestatibus anni, solisve ætatibus. In eisdem* ἐπιγιγνόμενα *(*ἔκγονα *semper morborum) rara: nulla vel sera* ἐπιφαινόμενα *(quæ propriè naturæ sunt) vtq; signa coctionis, vnum idemq; semper significant: at quæ* συνεισβάλλει παθογνωμονικὰ *haud ita procul à Natura, primùm segniter eundo latent ægros & assidentes. Hoc genus omnia videre est in exanthematis ac ecthymatis, tam minoris famæ ac virulentiæ: quàm maioris, vtriusuis generis.*



OMMVNES *foris causæ sunt, res vulgò non naturales: intus plenitudo simplex aut cacochymica, ad vasa aut ad vires; excrementorum prouentus: ex quibus pariter omnibus cùm morbi Acuti cùm Chronici: abs cruditate hi, crassitie,* ἀκινησία, *meatuum impedimentis, ignauia Naturæ vel imparitate vt fit in Cachexia, fœdis coloribus, hydrope semper à frigore, epilepsia possibili à quouis humore, apoplexia pueris frequentiore, senibus periculosiore, etsi Naturæ, ætati, habitui horum congener est. Acutorum alij cum sint* εὐήθεις, *alij* κακοήθεις, *horum materia aut rebellis &* δυσκρατής *est: aut vt illorum procax, tenuis substantiâ, qualitate acris, temperamento ignea: Calor quisquis inest (à nostro tam diuersus quam ab elemento stellarum) & putredo* σηπεδόνος τινος ἄλλως *ac destructiuæ toto genere spirituum, humorum, ac substantiæ partium tam principum quam reliquarum spermaticarum.*



YMPTOMATA *statim* ἐπακμάζοντα, *properè cùm ab aliorum morborum, tùm abs se nascentibus distant, in* Καύσοις, *putridis continuis, Cardiacis,* συντηκτικοῖς, πεμφυγώδεσιν, ἰδεῖν δεινοῖς. *Cuiusmodi ineuntes cum syncope, cardialgia,* ἀκρασίᾳ *linguæ, cephalalgia, delyrio, vomitu, alui* ταραχῇ χολερικῇ, *negare pestilentiales & contagiosas, scelus est. Bubonem cum istis dicere nihili, si is & æger idea melancholici sunt, febrisq; remittit primis diebus, est alterutrius ignorantiæ* κριτήριον. *An ad isthæc non conuenit aqua decoctionis polypodij & fragariæ cum oxalide? In cæteris non contagiosis calor ad manum sæpius acris, mordax, siccus, sine vel cum* ἐπαναδόσει: *adest vrinarum (quanquam hic parua eis fides) opacitas prærubra, aliàs flammea tenuitas, aliàs neutrum. Accedit pulsuum* θλίψις *omnigena, etiã in vna pulsatione, sitis, linguæ nigredo, viscerum* καῦμα, *dolor, tensio, durities: deniq; cætera vitia molis, characteris, coloris, dissimilitudinis morũ & actionum.*



T εὐήθεσιν *communis cum illis est ad* ἀκμὴν *festinatio, 4. die desinunt, vel ocyus, nec sæuiunt nisi cùm* εὐπνοίᾳ, *nunquam non salutari: & cum fruitione somni, quanquam non necessariò non lethalis: sine dolore, quod symptoma est omnium morborum, & quartum genus diuersum ab actione læsa; cui nihil ex æquo facere corpus infirmum simpliciter falsum est. In proscinctu ergo hic vt in illis morbi species (qua nullus planè est incurabilis vt neque magnus): Non vllum symptoma terribile. Adest facultatum & actionum qualiscumq; integritas, quæ nihilominus aliquando est mortis prænuncia: Cum prænotione itaq; ægri, tum morbi, & τὸ ὅτι, ὅθεν, καὶ διότι singulorum quæ visuntur in ægris: denique tempestatum & ἐπιδόσεων & ἀνταποδόσεων paroxysmorum, Medicus facilè præsenserit qui ex morbis futuri sunt exitiales aut salutares, qui cursim aut pedetentim sua tempora decursuri, quos quando & quibus subleuare operæ pretium est.*

Ergo Acutorum morborum quàm Chronicorum facilior est ab initio πρόνοια.



Asserebat GVILLELMVS LESCAILLON Claromontanus Lotharingus, Anno salutis 1599.